

DEDICATORIA.

Choro efficiet? quo cum fructu conciones suas auditoribus proponet? cum, quod Cassiodorus scribit, *Bonus doctor ille sit, qui proœmiatur aptè, narrat apertè, arguit acriter, colligit fortiter, ornat excelsè, docet, delectat, afficit.* Quid in foro agat Politicus? quo cum honore varias civilis societatis partes subibit si eloquentiæ lumine privatus fuerit? Cum nesciat eloquentis munia, quæ, è Cassiodori sententia, sunt, ut possit *parva submissè, mediatemperatè, magna graviter dicere: sciat invenire præclarè, enunciare magnificè, disponere apertè, & figurare variè: quo quandoque, ut Poëtæ verbis utar,*

Sup. Ps. 37.

————— *magno in populo cum sæpè coorta est*

Virgil.

Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus,

Æneid. 1.

Iamq; facce & saxa volant, furor arma ministrat:

ipso conspecto arrectis auribus astent, & verè dici possit,

Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Sicut verò usus scientiæ oratoriæ in omnibus vitæ humanæ statibus est præstantissimus: Ita præclarissimam videntur mereri laudem, qui à primis quasi studiorum suorum unguiculis, animum ejusdem cognitioni applicant: cujus beneficio & faciliori & feliciori pede in altiorum Facultatum scientiis non solùm procedent, sed suo etiam tempore, summo cum fructu & honore Ecclesiis, Scholis, Reipublicæ, adeoque communi patriæ utilitati inservient. Ejus rei gratia quam primum publicum docendi in Scholis munus mihi demandatum fuit, hoc egi, ut discipulis meis prima eloquentiæ rudimenta, ea qua possem dexteritate, fideliter instillarem; cumque ea ipsa non in solo verborum ornatu consistere animadverterem, nuda ista & cruda Rhetoricæ Rameæ præcepta nõ tantùm proposui, variisq; exemplis Theologicis, & Philologicis, sacris ac profanis, illustravi: sed &, quod præcipuum quidem oratoriæ caput, Orationis partes, variaque Causarum Genera, stolido Rameorum consilio hætenus è Scholis quibusdam proscripta, ea qua fieri po-

): (3 tuit